Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

CAP.

miserunt insidiatores. qui se iustos simularent. ut caperent eum in sermone: et tradent illum principatui et potestati presidis. Et interrogauerunt eum dicentes. Magister scimus quia recte dicis et doces. et non accipis personam hominis: sed in veritate viam dei doces. Licet nobis dare tributum cesari an non? Considerans autem dolum illorum: dixit ad eos. Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Et illi obtulerunt ei denarium. Et interrogauit eos dicens. Cuius habet imaginem et suprscriptionem? Respondentes dixerunt ei. Cesaris. Et ait illis. Reddite ergo que sunt cesaris cesari: et que sunt dei deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: et mirati in responso eius tacuerunt. Accesserunt autem quidam saducei qui negabant esse resurrectionem: et interrogauerunt eum dicentes. Magister moyses scripsit nobis. si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem. et hic sine filiis fuerit: ut accipiat frater eius uxorem eius. et suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem. et mortuus est sine filiis. Et secundus accepit illam: et ipse mortuus est sine filiis. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem: et non reliquerunt semen: et mortui sunt. Nouissime omnium mortua est et mulier. In resurrectione cum ergo erit uxor. Siquidem septem habuerit eam uxorem. Et ait illis iesus. filii huius seculi nubunt et traduntur ad nuptias. Illi uero qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis: neque nubent neque nubentur uxores: neque enim ultra mori poterit. Equales enim sunt angelis: et filii dei sunt cum sint filii resurrectionis. Quia uero resurgant mortui: et moyses ostendit secus rubum: sicut dicit. dominum deum abraham. et deum ysaac. et deum iacob. Deus autem non est mortuorum sed uiuorum. Omnes enim uiuunt ei. Respondentes autem quidam scribarum dixerunt. Magister bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare. Dixit autem ad illos. Quomodo dicunt xpm filium dauid esse? Et ipse dauid dicit in libro psalmorum. Dixit dominus domino meo sede a dexteris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Dauid ergo dominum illum uocat: et quomodo filius eius est? Audiente autem omni plebe. dixit discipulis suis. Attendite a scribis qui uolunt in stolis ambulare. et amant salutationes in foro. et primas cathedras in synagogis. et primos discubitus in conuiuiis: qui deuorant domos uiduarum. simulantes longa oratione. Hi accipient dampnationem maiorem.

XXI.

Respiciens autem uidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem et quandam uiduam pauperculam mittentem aera minuta duo. et dixit. Vere dico uobis: quia uidua hec pauper plus omnium misit. Nam omnes hi ex his qui abundant sibi miserunt in munera dei: hec autem ex eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit misit. Et quidam dicentibus de templo quod lapidibus bonis et donis ornatum esset. dixit. Hec que uidetis. uenient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Interrogauerunt autem illum dicentes. Preceptor cum hec erit